Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

tum triumphali aduentat corona.
Veni ergo et ne sollicitus sis
de donis que postulas. Nam et
his qui passionem tuam deuotis
mentibus celebrauerit presidia op-
tata et opem promitto. Aspiciens ergo
hac uoce Christi uirgo lacteam ceruicem
protendens spiculatori ait. Ecce
ego uocor a domino meo Ihesu Christo.
tu iam impiger age et redde
expletum quod a tyranno accepisti
mandatum. Mox ille insurgens
decollauit eam. Quo facto
due res digne memoria apparu-
erunt. una quia lac pro sanguine
in testimonium uirginalis pudi-
citie de corpore eius effusum terram
uberius irrigauit. Alia quia
mox angeli accesserunt et assump-
tum corpus per altum in aerem subue-
hentes in montem Synai depo-
suerunt. Qui mons a loco occisio-
nis distat xx^ti et eo amplius
itinere dierum. Quo in loco innu-
mera ad laudem dei fiunt miracula
Inter que et hoc unum insigne con-
stat miraculum. quod de sepulchro
ipsius riuus olei indesinenter manare
uidetur. Nam et de minutis
ossibus que de sarcophago cum
oleo effluunt ubicumque asportantur
salutaris olei liquor stillare
non desinit. Ex quo debilium
puncta corpora. celeris medicine
opem reportant. Passa est ergo
beata Katerina mense nouembrio
uicesima quinta die feria sexta

hora tercia. seruans uidelicet
diem et horam qua Christus pro mundi
redempcione ad passionem peruen-
it. Cui est laus et gloria per infini-
ta secula seculorum Amen. Passio
sancti Alexandri episcopi. A vi kl' dec.

Sub antonino im-
peratore beati Alexan-
dri episcopi et martiris colitur
dies Cui bono episcopo
cum esset famosissimus
in miraculis. quodam tempore de la-
tus est ei quidam mortuus. Compentes
dum hortaretur beatus uir ut crederent
in Christum spoponderunt se facturos
si idem mortuus suscitaretur
Tunc beatus uir oratione facta conuersus
ad corpus dixit. In nomine patris
et filii et spiritus sancti surge. Qui sta-
tim surgens clamare cepit.
Audite patres et populus uniuersus.
Ductus a duobus egipciis ualde
teterrimis. ira plenis. positus sum
in obscurissimo loco ubi erant
putei. Subito ueniente quodam
iuuene nimio splendore coru-
sco totus ille locus contremuit. et
exclamauit iuuenis ille splen-
didissimus. Remittite puerum
quia uocatur a famulo dei Alexan-
dro. Et ecce reductus sum in cor-
pore. Nunc domine Alexander baptis-
ma me in nomine dei tui. ne uideam
ultra quod uidi hodie. Uocabatur
autem is Lucius Cum quo baptizati
sunt alii C.xxv. Itaque rumor
beatum Alexandrum ubique spergebat.